



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Crvor Domini Sacrosanctvs Brugis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

## CRAPHAHILDIS MARTYR

*Gandau.*

**12. Nov.** **V**IDVA fuit nobili loco nata sanctum Liuinum hospitio fouit, cuius filiuū Brixium is de sacro fonte suscepit. Passa est cum eodem filio suo apud Hescham Territorij Alostani vicum quod palam quereretur, eundem sanctum Episcopum immerito imperfectum esse.

## CRVOR DOMINI SACROSANCTVS

*Brugis.*

**3. May.** **M**EMORIA Cruoris Christi apud Bruges tertia Maj. Vnde festum inuentionis sanctæ Crucis ibidem nominatur festum cruoris Christi. Celebrant enim illa die processionem annuam solemnem in huius pretiosi sanguinis honorem, qui collectus dicitur quando Ioseph & Nicodemus Christum de Cruce deponebant. Estque à Leonio Abate D. Bertini Brugas in Ecclesiam sancti Basiliū delatus anno millesimo centesimo quadragesimo octavo, ex mandato Theodorici Elsatij Comitis Flandriæ, qui Roberti Solymi auunculi exemplo inductus, quater cum exercitu in Palestinam delatus, in primis Fulioni socero, bis Balduino, semel Almerico Solymorum Regibus, auxilium fortissime tulit. Hinc autem ex prima profectione domum redeundi donatus est, ob beneficia tam propria, quam maiorum, & Sibyllæ religiosissimæ coniugis. De hac Cruoris Domini collectione. Vide Matthæum Galenum in

in Catechesibus, legitur inquit Miræus in fastis, in tabulis Martyrologij Romani 9. Nouembris : *Beryti in Syria commemorationis imaginis Salvatoris, quæ à Iudeis crucifixæ tam copiosum emisit sanguinem, ut Orientales, & Occidentales Ecclesiae ex eo ubertim acceperint.* Putant autem nonnulli, Cruorem qui Brugis adseruatur, ex ista Beryensi, aut alia Orientali imagine profluxisse. Aliter firmiter asserunt, panniculos istos saltem hic esse, quibus mortuum Christi corpus, plagis liuidum, ab ijs quibus separere istud cura fuit, lotum est.

## DOMMELINVS

*Thorolti.*

**P**resbyter fuit Thoroltanus religiosissimæ vitæ vir; 1. Octob.  
hic instante B. Bauonis obitus die, vt in vita eiusdem narratur, ab Angelo monitus, ac Torolto Gandauum ductus fuit, ægro Bauoni venerabilem Eucharistiam præbuit, ac morienti adstitit. leguntur & hæc verba secundâ die infra octauam sancti Bauonis lectio. quarta in Officio Sanctorum Ecclesiæ Gandauensis. Cumque etiam Domini Presbyteri Toroltensis viri religiosissimi & familiaris quondam sui præsentiam in extremis optaret, vt ab eo præsertim sicut consueuerat ante sacræ Eucharistiæ viaticum acciperet, mox ille ad eum per vastas solitudines Angelo Ducatum præstante pervenit.

H 5 DONA-

